



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Vbaldvs Ep. 16. Maij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

amatore, cum Gerebbero sacerdote fugam ultra mare cepisset, & in agro Antverpiensi sanctioribus se curis addidit. Pater eodem paulò post appulsus, cum illa ipsa imagine signatù argentù exponeret, quã obsonator filix hospiti satisfecerat, ejusdem indicio filia prodita est. Fœda omnia sunt, quæ deinde procius dixit, vel carnifex fecit; malum tamen spectare sanguinem, quàm audire verba improba & lenonia; quibus cum nihil moveretur, Gereberus primùm tutor pudicitix illius, ferro obruncatus est; Virgo deinde parentis ense cecidit nobilissima castitatis victima. Funus cælum curavit, neque puduit Angelos vespillonum officium occupare, allatis è candido marmore urnis. Virginis honori hoc ampliùs datum, ut nomen ejus gemmæ Angelus inscriberet; eo argumento agnovit posteritas DYMPNAM vocatam fuisse. Itē nunc Alexandri, & manus quibus pingi fingique velitis, querite: Castitas cælatores Angelos habet, & tamen heu! quàm pauci cupiunt hoc calculo notari! *Ex Surio.*

Eant nunc luxuria dediti, & ad propriæ carnis arbitrium vivant, ut animã postmodum & carne simul intereant: nunc medullas mundana dulcedinis sorbeant, ut repleti tunc perpetui cruciatus absinthiotis visceribus amarescant. S. Pet. Dam. lib. 7. ep. 19.

S. VBALDVS EP. 16. Maij.

VBALDVS infulam unam alterãve fugã declinavit, tertiam eamque Eugubii in patriã non potuit effugere, Summi Pont. auctoritate captus. Geminis cæcis cum oculos restituisset, tertium idem roganti, docuit libenter oculis carere, qui animum excæcaturi essent. Hostes innumeros patriam

patriam obsidentes omnes egit in fugam, cum unicum ipse signum crucis explicasset. Pacis ingeniosissimus artifex, contra injurias cautes inexpugnabilis fuit. Sed utriusque documentum cape, Scissa in factiones geminas urbs, pugnabat in viscera sua. Adest VBALDVS medius inter saxorum & rethorum icus, cadit deinde. Hic vero omnes arma abjicere, damnare discordiam, quae parricidas cives fecisset. Tum denique; a pie simulata morte surgere VBALDVS, & partem unius eaque ludicram morte pacem civibus gratulari. Ultima sortis homo, & unico suo cemento memorandus, Pontificem in calcis scrobem dejecerat, non tam corno quam ignominiam aspersum. Illicet amici civesque scelus urbe exigere, & ipsas improbi domini aedes velle demoliri. At agebat VBALDVS, graviori supplicio vindictae litandum. Sese vindicem sui exemplum editurum, quod urbs, quod orbis miraretur. Interea pro tribunali sedet: adest reus, vel se iudice nulla non morte dignus. Ergo sententiam profert VBALDVS, & inaudito supplicio reum damnat AD OSCYLVM. Non multo sanguine, ais, se vindicavit, sed certe, ut non nemo inquit, rubore multo. Ex *Brev. Rom. Pet. de Nat. & Surio.*

Obediamus Christo, & furentium fratrum morsus, verbera, onera, pietatis virtute portemus: ut & fratres nostros liberemur a poena, & patientia premium consequamur: nec dedignetur servus hoc accipere a conservis, quod Dominus a servis & pro servis dignanter accepit. S. Pet. Chrysol. serm. 28.

S. TORPES MART. 17. Maij.

Raram avem vides, & albo simillimam corvo
 aulicum, inquam, pium ex aula Neronis impij.
 TOR-